

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8229

Auteur(s) : Guérin des Vergers [particulier]

Bénéficiaire(s) : Guillaume, Châteaudun (chantre)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1237

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Guérin des Vergers et Mathilde, sa femme, vendent à Guillaume, chantre de Châteaudun, moyennant dix livres tournois, tous leurs droits sur les dîmes de Tourouvre.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, Q. « De decimis et bladis Carnotensis dyocesis », n° XXVII, p. 438-439.

Texte établi d'après a

Ego, Garinus des Vergiers et Matildis, uxor mea, notum facimus universis presentes litteras inspecturis quod nos unum batagium et partem nostram staminum et quicquid juris habebamus et habere poteramus in omnibus in decima de Torto Robore quoquo modo, que omnia supradicta feodaliter possidebamus, vendidimus domino Guillelmo, cantori Castriduni, ejusdem ecclesie persone, pro decem libris turonensium, de quibus idem Willelmus nobis plenarie satisfecit, eidem Willelmo, jure emptionis sue, habenda pacifice et libere ad faciendam ex illis, sive in elemosina, sive quocumque alio modo voluerit, suam, et cuicumque eam dederit vel vendiderit, in perpetuum voluntatem, absque nostri et heredum nostrorum reclamacione et contradicione de cetero facienda, faciendo tamen exinde, per manum Johannis de Monthai et Orioudis, uxoris ejus, et heredum ipsius, de quibus predicta tenebamus in capite, duodecim denarios turonensium in festo sancti Remigii annuatim, cum ab eodem Willelmo vel ab ejus mandato requisiti fuerint, pro rebus omnibus ad quoscumque spectantibus ; hoc tamen adjecto, quod, si forte aliquis aliqua exinde servitia petere voluerit, idem Willelmus vel ejus mandatum ex illis servitiis facient tantummodo secundum quantitatem feodi quam tenebunt, vel ad ea defendenda similiter adjuvabunt, si viderint expedire. Ad hanc autem venditionem tenendam fideliter firmiterque servandam et garantizandam sub forma predicta, predicto Willelmo et cuicumque predicta post ipsum possidenti, et dicto modo penitus ab omnibus liberandam nos astrinximus prestitis corporaliter sacramentis, et ad idem tenendum similiter heredes nostros, et per litteras volumus obligari nostrorum sigillorum munimine roboratas, quibus predictus Johannes et dicta Orioudis, uxor ejus, domina feodi capitalis qui tenentur et manu ceperunt sub dicta forma garantizare dicto Guillelmo et ejus mandato, sigilla sua in favorem et testimonium omnium predictorum insuper appenderunt, per quod se et heredes suos ad predicta omnia facienda fideliter et tenenda, ut super iussunt expressa, voluerunt specialiter obligari. Actum anno gratie M° CC° tricesimo septimo.